



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Prolegomenorum Art. I. Quid sit Tentatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

338
340
con-
343
344
347
349
351
s fa-
354
357
359

PROLEGOMENA
AD PRÆSENTEM
INSTRUCTIONEM.

361
obis
363
em.
366

Prius, quàm tentationes in specie, earumque remedia proponantur, operæ pretium erit, ea, quæ de Tentationibus in genere scienda sunt, breviter indicare, nimirum quid propriè sit Tentatio, quotuplex, & quæ pro illis generalia remedia aut monita præscribi soleant.

ARTICULUS I.

Quid sit Tentatio.

I. **U**T melius intelligatur, quid in hoc tractatu nomine tentationis intelligatur, sciendum est, variè hoc nomen accipi in Scriptura Sacra, & alijs libris Spiritualibus.

II. Nam. i. idem significat, ac probatio seu experimentatio, ita ut tentare idem significet, ac experimentum sumere de aliquo, ut vel ipsi tentanti, vel tentato, vel alicui alteri quidpiam innotescat; quâ ratione Magistri in Scholis Discipulorum suorum profectum indagare, atque adeò ipsos tentare dicuntur. Et in hoc sensu S. David, Ps. 15. dixit: *Proba me, Domine, & tenta me.* & de Tobia S. Scriptura c. 2. dixit: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus venire illi, ut posteris daretur exemplum patientia illius, sicut & S. Job.*



III. Secundò Tentatio idem significat atque afflictio, in quo sensu frequenter iterum S. Scriptura hoc nomen accipit, ut cùm Tob. 12. dicitur: *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Et iterum Jacobi I. c. *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Et clariùs Deut. 8. *Adduxit te Dominus DEUS tuus, ut affligeret, & tentaret te.*

IV. Tertio idem significat atque Impugnatio, seu impulsio ad aliquid agendum, vel omittendum; quo sensu Sap. 14. dicitur. *Creatura DEI in odium facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in miscalpulam pedibus insipientium.* Et iterum Eccl. 2. *Fili accedens ad Servitutem DEI, sta in timore & prepara animam tuam ad tentationem,* quâ scilicet ad difficultates servitij divini averlandas, constantiamque deserendam impellaris.

V. Quarto denique & communiter sumitur pro inclinatione & motione ad aliquid illicitum perpetrandum; quo sensu accipitur Jac. 1. dum dicitur: *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur. DEUS enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* (impellendo scilicet ad peccatum) *unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Et his duobus ultimis modis tentationis nomen in hac Instructione præcipuè sumetur; quo sensu fortè eam etiam Petrus Chrysol. S. 71. accepit, dum dixit, quòd tentatio nihil aliud sit, quàm species fallens, quæ prospera in adversis, humanamque ignorantiam dolosos educit in lapsus.